

*Joan. 3. Per humilitatem disponitur homo ad gratiam.*  
 Respondit Jesus: Tu es Magister in Israel, & hoc ignoras? Joan 3, n. 9. Cur Domine Jesu Nicodemum ignorantia fugillas, quæ Magistro infervit ad magnum dolorem, ac ignominiam? Disponbat Jesus hominem ad se adducere, eumque ex Spiritu sancto regenerare, & ideo illum ignorantia premit, ac humiliat, ut per humilitatem disponatur ac cognitione suæ ignorantia ad suscipiendum divinum Spiritum, d. August. tract. 12. in Joan ait: O fratres, quid putamus Dominum huic Magistro Iudæorum quasi insultare voluisse. Noverat Dominus quid agebat; volebat illum nasci ex Spiritu, nemo ex Spiritu nascitur, nisi humilis fuerit, quia ipsa humilitas facit nos nasci ex Spiritu. Inflatus erat Nicodemus suo Magisterio & ut nascatur ex Spiritu sancto necesse fuit humiliari abjecta ejus ignorantia.

*Act. 10. n. 30.* Et Cornelius ait: A nudius quarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida & ait.  
*Num. 31.* Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.  
*Nam. 32.* Mitte ergo in Joppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, hic hospitatur in domo Simonis Coriarii juxta mare.  
*N. 33.* Confestim ego misi ad te, & tu bene fecisti veniendo Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt à Domino.

Versiones.

CUM EXPOSITIONE VII.

*181.* *Verf. 30.* **A** nudius quarta die usque ad hanc horam id est quarta die ab hac præsentis die; num ut notant glossa, & Lyra. Prima die Cornelius vidit Angelum, & statim obediens cælestibus monitis misit nuntios. Secunda pervenerunt Joppen; tertia vero die simul cum Petro profecti sunt, quarta vero intraverunt Cæsaream ac domum Petri.  
*Glossa. Lyra.*  
*182.* *Usque ad hanc horam orans.* Syriacus, Græcus Tigurina, & alii apud Ganæum legunt: Ex quo ecce jejunus sum, ac si dicat quartum ab hinc diem eram jejunus usque ad hanc vespertinam horam, horam nempe nonam, in qua more meo consueto orabam, ex quo duo colliguntur, primo Cornelium pertitisse in oratione, ac jejunio per quatuor dies, se disponens ad recipiendum Christi fidem, & baptismum. Secundo petrum venisse ad Cornelium vespertino tempore.  
*183.* *D. Chrysofom aliter legit: Usque in hanc horam jejunans vidi ecce vir,* denotans jejunium quadriduanum præcessisse visionem Angelicam, quæ explicatio licet possit sustineri cum textu Græco non tamen cum nostro, cum dicatur: Usque ad hanc horam, in quo loquitur de presenti.  
*184.* *Ecce vir stetit ante me.* non dicit Angelum præmodestia ne se multum laudaret. In veste candida. Arabicus: In veste magnifica. Gothicus: In veste splendida, Lorinus contendit inter album, & candidum dari discrimen, quod quid sit

de hoc, vestis erat valde pompofa, ac illustrissima.  
*Verf. 31.* *Corneli exaudita est oratio pro salute tua,* ac totius familiae tuæ, ut bonus Princeps rogat pro se, suæque familiae. *Et eleemosyna tua* Syrus *De eleemosynis tuis facta est commemoratio coram Deo.* Orientales ascenderunt in memoriam Dei. *Casi* dicat propter tanta bona opera tua te Deus adducit ad lucem Evangelicam.  
*Verf. 32.* Jam satis est explicatum supra ad finem capitis noni. *Verf. 33.* Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus Parati, & prompti tibi in omnibus obedire, & audire. Arabicus; *Ecce nos primi audituri cunctos sermones tuos.* Tata obedientia prompti stabant, ut nulli alteri primas darent. *In conspectu tuo.* Tigurina legit: *Teste Deo* Vatablus: *Conspectio Deo omnes adsumus.* Græcus: *In conspectu Dei.* alii ex Græco, *Coram Deo.*

QUÆSTIO XXIV.

Quare Cornelius tam sublimi, & alto modo ait: quod ipse, & omnes adstantes sint parati audire Petrum?

*187.* **A**t Cornelius ad Petrum: Omnes nos in conspectu tuo adsumus audire omnia, loquitur pro se, & tota familia, quam bene motigeratam, ac dispositam in obsequium Dei habebat, & quia facile majoris exemplum inferior sequitur.  
*188.* *Adsumus audire te,* ut prompti, & parati ad omnia absque ulla reluctancia, ad omnia quæcumque mandaveris. Deferens Moyses præcepta Dei ad populum Deuteron. 27. numero 9. ait: *Audi Israel.* Ex Græco legitur: *Tace, & audi Israel* quo textu maxime ad obediendum exhortatur Mo nachos D. Hieronymus epistola 4. ad Rusticum: *Credas salutare quidquid ille præceperit, nec de majorum sententia judices, cujus officium est obedire, & implere ea, quæ jussa sunt, dicente Moysse tace Israel, & audi.* Perfecite obediens omnia mandata sancta; & recta iudicat, tantum intendit illa adimplere: Unde David silentio se se accingebat ad obediendum dicens psalm. 61. numero secundo: *Nonne Deo subjecta erit anima mea.* Ex Hebræo legitur: *Deo silentium anima mea.* paratum se ostendit ad audiendum, ut ne mutire audeat, sed omnia cum silentio vult adimplere.  
*189.* *Secundo ait Cornelius: Nunc omnes nos adsumus in conspectu tuo.* Græcus: *In conspectu Dei.* Cum sint, in conspectu Petri dicuntur adstare in conspectu Dei, Prælati, ac superior venerandus, ut Deus. Veniunt duo Angeli in Sodomam tamquam Dei ministri ad ipsam igne desolendam, compelluntque Loth, ut cito exeat cum suis, & in monte saluum se faciat, quibus Loth ait: *Dixitque ad eos Loth: quæso Domine mi.* Genes. 19. numero decimo nono, ut concedat ei, quod in quadam proxima civitate se valeat recipere; tamen maxime inquirendum venit, cum duo sint Angeli, & ut duos ad hospitium compellar, dicens: *Declinate in domum pueri vestri lavate pedes vestros,* nunc tamquam cum uno solo loquitur *Quæso domine mi.* In primo ingressu eos tamquam duos homines, ac peregrinos recipit, postquæ vero cognovit ipsos esse dei ministros, & ut superiores ad puniendam civitatem missos, & ad ipsum tota cum familia custodiendum, & ei designandum locum ad suum tutam: jã non ut duos agnoscat, sed tantum

tantum ut unum Deum, à quo missi erant, & acceperant potestatem, ideoque cum eis loquitur tamquam cum uno Deo: ipsumque Deum in eis recolit, ac veneratur. D. August. q. 33. in Genes. favens huic cogitationi: *Loth in Angelis Dominum sentiens, Domino potius, quam Angelis loqui elegit ac si dicat, Loth sua cogitatione non sistebat in Angelis, sed ad Deum transferebatur, à quo Angeli erant missi, & cujus autoritate fangebantur.*  
*190.* *Tertio: Nos in conspectu tuo adsumus.* Ex Græco legitur: *Coram Deo,* ut omnes ostenderet justos, probos, & Sanctos; quia vere, & sincere absque ulla fictione se ipsos Deo adjugebant, & offerrebant, ut ei in omnibus obtemperarent. D. Chrysof. in præfenti ait: *Non dixit coram homine, sed coram Deo, ostendens sic oportere accedere servos Dei.* Servi Dei cum se Deo præsentem offerunt, & præsentant hoc faciunt puro, & integro animo, quia animus fictus, & duplex maxime Deo displicet. Sapient. 1. n. 5. *Spiritus sanctus disciplina effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Dicitur psalm. 17. n. 41. *Filii alieni mentiti sunt mihi.* Ex Hebræo apud Genebrardum legitur: *Filii adulterini;* ex eo quod ficti, ac mentiti erant filii, alieni ac adulterini facti sunt à Deo.  
*191.* *Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit dicens: Quid nobis, & tibi Jesu Nazarene, venisti perdere nos? Scio qui sis Sanctus Dei; & comminatus est ei Jesus dicens: Obmutescet, Marc. 1. n. 24. & D. Lucas scribit 4. n. 41. Non sinebat ea loqui.* Cur Domine sic commendatas laudes ab infesto hoste rejicis? Cur non sustines laudatores demones: quid splendidius quam ab hoste laudari, sed tam rigide imperas, *Obmutescet.* Dicebat Diabolus, *Scio; qui sis Sanctus Dei.* Diabolus licet aliquas haberet conjecturas, non tamen certo sciebat Christum esse Dei filium, ut ex communi Patrum placito dixi in citatis locis, & latè probat Suar. tom. 2. ad 3. p. disp. 31. sect. 3. & D. Chrysof. homil. 5. in Marcum: urget Dæmonem, obmutescet: *Fingis te scire, quod nescis.* Verax Dominus mendaces, ac fictos Dæmones laudantes non patitur, sed rigide, magnoque imperio eis imponit silentium; atque obmutescere jubet.

*Act. 10. n. 34.* **A**periens autem Petrus os suum dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.  
*Num. 35.* Sed in omni gente, qui timet eum & operatur justitiam, acceptus est illi.  
*Num. 36.* Verbum misit Deus filiis Israël, annuntians pacem per Iesum Christum, hic est omnium Dominus.  
*Num. 37.* Vos scitis, quod factum est verbum per universam Iudæam; incipiens enim à Galilæa per Baptismum, quod prædicavit Joannes.  
*Num. 38.* Iesum à Nazareth: quomodo unxit eum Dominus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo.

Versiones.

CUM EXPOSITIONE VIII.

*192.* *Verf. 34.* **I**n veritate comperi. Explicat Lyranus: Experimento probavi, & cognovi: Quia non est personarum acceptor Deus: Syriacus:

*Deum non esse acceptatorem vultus.* Arabicus: *Deus nullo modo assentatur vultibus.* Oecumen. *Non sit personarum respectus coram Deo.* Ethiopicus: *Nullus carnis personam accipit Deus;* ac textus multi in locis reperitur, quia deus nullum discrimen ponit inter Judæos, & gentiles in ordine ad salutem æternam: *Quia vult omnes salvos facere, & ad cognitionem veritatis venire.* 1. timoth. 2.  
 Hoc optime explicat D. Thomas 2. 2. q. 61. art. 1. ad 3. & 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. & ait: *Duplex est datio, una pertinet ad justitiam, cum quis dat alicui, quod ei debetur? alia ad liberalitatem pertinet.* posterio- ris generis est collatio munorum gratia, ac proinde non habet in ea locum, acceptio personarum, quoniam potest quisvis de suo dare quantum, & cui voluerit juxta illud Math. 10. num 11. *Non licet mihi: quod volo facere, v. g. si quis voluerit ex bonis suis dare eleemosynam pauperibus hujus civitatis, non illius nomini facit injuriam.*  
*Verf. 35.* *Sed in omni gente, qui timet eum.* Arabicus: *Qui timet ab eo.* Timor, ut patet ex secundum verso involvit dei cultum, ac venerationem, qui cultus, ac veneratio non datur nisi cum oblatione mandatorum dei, ac legis Divinæ, atque ejus fidei. Unde Dei honos, ac veneratio, & cultus ad donum timoris refertur. d. Thom. 2. 2. q. 18. D. Tho. art. 2. & q. 19. art. 9.  
*Et operatur justitiam.* Syriacus: *Et operatur quod rectum est.* Origenes *Et voluntatem ejus facit justitia,* ut ait Aristoteles 5. ethic. cap. 1. comprehendit, & continet omnes virtutes: Aliquando pro morum honestate, pietate, ac penitentia, sic ait Christus dominus Math. 6. n. 1. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Aliquando pro eleemosyna, ac pietate: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in saculum saculi.* Psal. 111. n. 9. & satis apte justitia hic potest sumi pro eleemosyna; nam hic pro ea maxime laudatur Cornelius, & quamvis justitia multas alias virtutes singillatim denoret, tamen pro ut virtutes amplectitur hic ponitur.  
*Verf. 6.* *Verbum misit Deus filiis Israël.* Syriacus: *Est enim verbum illud, quod misit, d. Chrysof. Sermonem misit, quem misit exangelizantem finita præfatiuncula sui sermonis, jam incipit Petrus catechizare, atque illustrare in fide Cornelium, ac ejus socios. Verbum misit Deus.* Verbum tripliciter hic potest sumi, primo pro Verbo Incarnato, secundo pro sermone, ac doctrina tradita, & in utroque sensu interpretatur glossa, Carthusianus, Hugo, & in primo sensu est etiam d. Athanas oratione contra Arianos, secundo sumitur pro sermone, & loquela tertio pro re significata per ipsum verbum, Math. 24. n. 35. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt;* nempe dicta per verba mea de extremo judicio, & Pastores Luc. 2. n. 15. *Videamus hoc verbum, quod factum est, & Dominus ostendit nobis, & multis aliis in locis, & in hoc sensu aptissime explicatur verbum, ut in præfati d. Chrysof. Cajetan. Lyran. Lorinus, ut sit sensus, multa mirabilia, & magna dicta per verba Christi, Misit deus filiis Israël annuntians.*  
*Pacem* Syriac. Requiem quia Christus pacificans ac reconcilians genus humanum cum suo æterno Patre dedit nobis requiæ æternæ beatitudini: *Hic est omnium Dominus,* ut denotetur, quod verus deus sit.  
*Verf. 37.* *Vos scitis, quod factum est verbum.* Syriacus: *Sermonem, qui habitus est in tota Judæa.* Arabicus: *Vos nostis famam, quæ facta est in regionibus universæ Judææ.* Oecumenius: *Audistis rem quæ accidit.* Vos, qui inter Judæos habitatis ac notum est famam



fama vobis: Verbum quod factum est, id est res significatas per Christi verba, qui utpote verus deus praedixit omnem seriem vitae, passionis, mortis, atque resurrectionis cum multis mirabilibus, ac miraculis, quae operatus est.

199. Incipiens a Galilea ibi incepit Christus praedicare: Luc. 4. n. 14. Post baptismum Joannis, antea enim non legitur publice praedicasse. Rabanus, & Beda aliter legunt haec verba, hoc scilicet modo Vos scitis ut praedicavit Joannes Jesum a Nazareth. Lectio tamen nostrae vulgatae praefenda est.

200. Vers. 8. Jesum a Nazareth, scitis verbum jam factum, ac dictum, scilicet dictum per Jesum a Nazareth, quomodo unxit cum Deo Spiritu sancto. D. Chrysof. Unxit in Spiritu sancto. Abundantia nempe omnium gratiarum, ac donorum, ut recte notat Eusebius lib. 4. de demonstrat. cap. 15. Perbelle gratia Spiritus sancti dicitur oleum, unctio, quia instar olei, quos replet, nitidos, ac lucidos facit, hilares, ac jucundos, eosque fovet, & ab omni infirmitate sanat, ac vegetat.

201. Et virtute, arias, & efficacia, Cajetanus: Potentia, quam ostendit Christus in multis miraculis, ac mirabilibus manifestans suam divinam potentiam. Qui pertransit beneficiendo. Syriacus: Qui praeiustrabat regiones: Tamquam fulgentissima luce illustrabat regiones, ac Civitates sua doctrina, exemplo, praesentia, morum compositione tantisque divinis operationibus.

202. Oppressos a Diabolo. Syriacus: Sanabat eos, qui laesi erant a malo. Arabicus: In quoque dominatus fuerat fraudulenti. Ethiopicus: Auxilium praestitit iis, quos oppressi Satanas. Tyrannice a Diabolo mente, & corpore possessos, vel in quibus Satanas per fraudulentiam dominabatur multis, & magnis fraudulentiis.

203. Quia Deus erat cum illo per unionem Hypostaticam; & per amplissimam, & magnam gratiam multorum, divinorumque mirabilium operatricem verbo in doctrina, ac praedicatione, in omnibusque operibus, ac factis.

QUAESTIO XXV.

Quare cum Christus D. omnia caelestia dona secum adduxerit peculiariter de pace sit mentio?

204. A It praesens Textus: Annuncians pacem per Jesum Christum. In pace omnia includuntur bona, omniaque importat, ac significat. Nam pax tripliciter potest considerari, externa, interna, & superna, quae omnia Christus Dominus nobis contulit, ac attulit; superna est Patria; in illo enim regno Beatitudinis summa pax est; ut ait D. Gregor. homil. 22. in Evangel. de qua loquitur Isaias 32. n. 18. Sedebimus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis justitiae, & in requie opulenta. Secunda est pax interna animae cum deo per gratiam; de qua loquitur Job. 21. num. 13. Acquiesce ei, & habeto pacem, & per haec habebis fructus optimos. Et david psal. 118. n. 65. Pax multa diligentibus nomen tuum. De pace externa multa dicam statim.

205. Inde merito ab Isaias 9. n. 6. dicitur: Princeps pacis, ab Apostol. ad Ephes. 2. n. 13. appellatur pax nostra, nascitur toto orbe in pace composito, & Angeli cantant, Luc. 2. num. 14. Et in terra pax hominibus: Eam mandat suis Apostolis praedicare: In quamcumque domum intraveritis,

primam dicite pax huic domui, Luc. 10. n. 5. Abiturus de hoc mundo ad Patrem ait: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, Joan. 14. numero 27. Et post resurrectionem apprensus suis discipulis ter repetens ait eis: Pax vobis, Joan. 20. n. 19. & Zacharias ejus divino afflatus spiritu exorat: Dirigantur pedes nostri in viam pacis, Luc. 1. n. 79.

206. Describens D. Matth. 21. n. 5. magnificum, ac amplissimum Christi D. triumphum cum ingrederetur Jerusalem turba acclamavit: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Via sternata erat propriis abjectis vestimentis, olivarumque, atque palmarum ramis, valde pomposus, ac festivus erat apparatus, ut facile alium similem in Scriptura non invenias, tamen Dominus ibat sedens super asinum. Subdit Evangelista: Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiae Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinum, &c. Si Domine, disponis ut ab hominum, puerorumque turba tam jucundo, ac hilari plausu excipiaris in tuo ingressu, cur non eligis equum, cur-tumve triumphalem, sed asinum? Veniebat mansuetus, id est pacificus, & concordiam equum ad bella paratum rejicit, quin potius pacificum ac mansuetum animal eligit nesciens alicui facile injuriam. D. Chrysofom. in Imperfect. homil. n. Chrysof. in Matthaeum ait: Dominus ascendens ad Hierosolymam magnam pacis gratiam, & concordiam mundo universo, quasi in testamento reliquit, non sedet in curru aureo pretiosa purpura fulgens, neque ascendit super fervidum equum discordiae amatorem & litis, qui de longe odorat bellum, & gaudet ad vocem tubae, & cum viderit sanguineam pugnam dicit in eo de suo, bene est factum, sed sedet super asinum tranquillitatis, & pacis amicum.

207. Querunt Discipuli a suo Divino Magistro Christo Domino. Quod signum adventus tui, & consummationis saeculi: Quibus respondet, Audituri estis praelia, & opinioniones praeliorum, Matth. 24. num. 6. postulat signum de consumpto saeculo, & ultimo ejus adventu ad iudicium, & quando inde recessurus est ad Patrem ut amplius non veniat, & totaliter ab hoc mundo recedat, & cum agitur de Christi absentia, nullum majus signum, quam bella, ac seditiones; nam sicut ejus praesentia importat pacem, sic illius discessus discordiae, ac belli fomenta: Eleganter Origenes homil. 28. in Matth. ait: Sicut adventus Christi plurimis gentibus divina virtute fecit pacem secundum quod dicit: Orietur in diebus ejus abundantia pacis, sic consequens est, ut cum propter abundantiam iniquitatis refriguit Charitas multorum, dereliquit eos Deus, & Christus, iterum fieri praelia, scilicet permisit.

QUAESTIO XXVI.

Quare D. Petrus incipiens referre Christum ait suam praedicationem exortam fuisse a Galilea, de quo Iudaei accusationem formant?

208. Incipiens D. Petrus praedicare infinitam Dei misericordiam, quam misit filiis Israel per filium suum Jesum Christum annuntiantem pacem, ait: Vos scitis quod factum est Verbum per universam Judaeam

QUAESTIO XXVII.

Quare D. Petrus dum praedicat Christum plenum oleo Divinitatis adjungit ejus in omnes beneficentiam?

213. A It D. Petrus, quod Christus dominus ut verus Deus repletus oleo Divinitatis Spiritus sancti: Pertransit beneficiendo: & sanando omnes oppressos a Diabolo. Christus D. exultavit ut gigas ad currendam viam celeri ac celerato cursu instar folis, qui spatio brevi totum perambulans hemisphaerium, lucem, calorem virtutem, ac influxum in homines, plantas, & in terram diffundens, ut late explanat D. Bernardus epistol. 253. ad Guarinum.

214. Obiter tamen nota, dicitur quod Jesus Pertransit beneficiendo, & sanando omnes oppressos a Diabolo. At apud Samaritanam meus Jesus sedet, Joan. 4. n. 6. Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. hic sedet, illic pertransit? Respondet doctiss. Didac. de Baeza tom. 2. de Christo figurato lib. 6. c. 9. §. 16. & propter unam mulierem sedet, & veluti moras nequit & per multitudinem tot infirmitate laborantium pertransit? In Samaritana negotium erat de spirituali vita animae, ad quod Deus ob suam infinitam bonitatem maxime attendere solet; ideoque pro illa sedet, & multa opera dignatur impendere. In aliis vero solum spectabantur temporales sanitates, quibus non multum intendendum, & ideo pertransiens, ac veluti transitorie de illis agebat.

215. Ad quaestionem ostendit Petrus Christum dominum verum deum unctum oleo divinitatis, quia pertransit beneficiendo, & sanando omnes oppressos, ipsa enim beneficentia index est Divinitatis D. Ambrosius libro 4. in Lucam ait: Ubique Jesus curat, ubique sanat in itinere, in domo, in deserto, ut Deum se, & hominem demonstrat. Et etiam dicam ego, & in Cruce sanatur, D. Augustin. lib. 4. Confession. cap. 12. inquit: Non enim tardat, sed currit, clamans ditibus, & factis, morte, vita, descensu, ascensu Et idem divus Augustinus sermone 26. de verbis domini ait: Ibi verè Christus probatus est Deus; ubi tantum fecit, quantum ausa non est fides ipsa optare.

216. Dicitur Sapientiae 16. num. 20. Angelorum esca nutriti populum tuum, & paratum panem de Caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem, substantiam enim tuam, dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebat. Quid Per substantia illa intelligat sapiens? Variæ sunt sententiae. Hugo, Vatablus, Jansenius intelligunt ipsum Mannam: Pineda in Jacob ad cap. 22. vers. 3. interpretatur ipsam divinam potestatem sustentandi populum. Ozorius vir doctus exponit ipsam bonitatem, ac benignitatem divinam, sed quomodo ipsa bonitas, seu Natura divina, quae est inaccessibilis, investigabilis viae ejus, quae omne humanum captum transcendunt, dicatur ostensa, Substantia tua dulcedinem tuam, quam habes, in filios ostendebat. Res quamvis sit valde abdita, & abscondita per suos proprios, & con-naturalis effectus cognoscitur, & manifestatur, & cum beneficentia sit maxime intrinseca, ac connaturalis deo ex suis visceribus piissimum praestatur. clare in tam magnifico dono innotescere, ac ostendebatur, ait Christus dominus, marci 8. n. 2.

Z 3 Misereor

217. Judaem incipiens a Galilea. At vero Principes Judaeorum dum Christum accusant clamant. Luc. 23. n. 1. Invaldebant, dicentes, commovet populum docens per universam Judaeam, incipiens a Galilea, Ecce Petrus quod Christus incepit suam praedicationem a Galilea, refert ad ejus laudem, & gloriam, Principes autem ad crimen, & accusationem, unde tanta diversitas.

219. Obiter nota, quod Christi praedicatione incepit a Galilea, quia Christi discipuli majori ex parte, erant galilaei, & ideo Angeli in die Ascensionis dixerunt sacris Apostolis: Viri Galilaei quid statis aspicientes in Caelum, Act. 1. n. 11.

220. Ad quaestionem respondet Beda ad citatum locum, & ait: Hic accusantium, sermo magis est eum qui accusatur innoxium, & eos, qui accusant docet esse perversos. Potuit namque aliquis amator Domini, sicut etiam fecit eandem sententiam laudis loco ponere dicendo auditoribus bonis: Vos scitis quod factum est verbum per universam Judaeam. Incipiens enim a Galilea, &c. Diversus affectus multum diversum effectum parit: Justus, pius, ac bonus integro, ac sincero animo rem judicat, & apprehendit ut praeclearam, & optimam, in saluferam animarum doctrinam, hostes vero iniqui, & perversi eandem rem, ut tumultum, seditionem, ac perniciem reipublicae aestimant.

221. Ingreditur Jesus in Jerusalem triumphali pompa, atque magnificentissimo apparatu, via exornata vestimentis, palmis, & ramis tota turba sacris Apostolis ducibus acclamante: Benedictus qui venit in nomine Domini, pax in Caelo, & in terra. Quidam de turba Pharisaeorum dixerunt ad illum: Magister increpa discipulos tuos. Luc. 19. n. 39. Sacri Apostoli agnoscunt Christi magnalia, & quod ingrediebatur, ut pacificus in Caelo, & in terra, ut cunctos suis donis repletet, hymnis, & canticis ejus Majestatem celebrarent: At Pharisaei hostili veneno infecti id quod omni jure debitum erat, minime sustinent, & illud tamquam grande laesa majestatis crimen acriter reprehendunt, & oburgandum existimant. D. Ambros. lib. 5. epistol. 32. in Auxentium sic rem expendit, & ait: Audistis legi, quod cum Christus super pullum asina sederet, clamabant pueluli, & moleste ferebant Judaei: semper ergo Christi laudes verbera perfidorum sunt. Christi laudes justis, & bonis delectabiles, & praejucundae, flagella, & verbera perfidis, & iniquis.

222. Audito ex ore Christi illo de sacrae Eucharistiae sermone dixerunt quidam: Durus est hic sermo, Joan. 6. n. 61. Græcus: Rigidus est hic sermo. Tertulian. Intolerabilis est hic sermo, ex quo multi discipulorum ejus abierunt retro, & non ambulabant cum eo. Tunc Iesus dixit ad duodecim suos Apostolos: Vos vultis etiam abire? Respondit Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vita aeterna habes. Ibidem n. 69. Audita Christi doctrina eadem, magna diversitas generatur in auditoribus; quidam, ut incomportabilia reiciunt, & alienantur, alii vero ut suavia, & beneficia accipiunt, illi ut inimici serpentina malitia imbuti divina, & ad Christi gloriam non capiunt, sed indurescunt; at vero Apostoli, ut Sancti, & amici salutifera percipiunt, ac venerantur, ut firmius, constantius Christo adherant, eumque sequantur. Noster, D. Cyrillus ibi ait veluti pro Apostolis. Non dura, ut illi (scilicet, qui abierunt) dicunt verba, sed aeterna vita habes, quae conducere credentes possunt ad vitam incorruptibilem

223. Solum bene volentium laudes agnoscent non vero inimici.

224. Græcus. Tertull. Joan. 6.

225. Solum bene volentium laudes agnoscent non vero inimici.

226. D. Cyril